



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Laurentij literae ex carcere. n. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1602. mum iuuandum, literis & sigillo Præfecti munitus & ab insidijs malignantium tutus; faxit Deus vt ex omnibus proficiam ad vitam æternam nam hæc in hac ætate diuturna esse non potest: Habet Reuerentia Vestra captiuitatis meæ historiam quam optabat, me autem quantus sum ad obsequium: si verò *inspiens factus sum*, dicam cum Apostolo, *vos coëgistis*. Vale. Inciderat in manus Parlamentariorum anno huius sæculi quadragesimo tertio, durauit captiuitas ad annum quadragesimum octauum; quando visum est Deo animam sanctam ex his angustijs morte communi liberare, vt licet non Martyrum laureâ gloriosus, *fulgeat tamen sicut stella in perpetuas æternitates*, quoniam indefessè *ad iustitiam erudierat multos*.

Laurentius VVotthingtonus.

XXXIII. Laurentius huius Frater eodem fere tempore admissus in Hispania, Tyrocinij annis peractis bis Philolophos explicuit, Cordubæ, & Hispali. Missus deinde in Angliam anno huius sæculi duodecimo, & cum liber esset & cum clausus carcere fructum fecit non pænitentium. Ex carcere VVestmonasteriensi (quam Portam domus vocant) hæc Romam ad *Thomam Odoënum* demortuo *Personio* Præfectum missionis perscribit.

Eius literæ ex carcere.

Magnifice Domine. Sat scio Dõminationi vestræ pergratum fore de rebus nostris fieri certiolem: Hæc igitur scribo vt quæ mihi Socioque meo Domino *Francisco Young* intra anni huius ambitum hoc in carcere contingere breuiter recenscam. Comprehenus superiori anno & hic inclusus ante omnia adieci animum ad quinque Catholicos Laicos subleuandos, qui ob repudiatum fidelitatis (vt vocant) iuramentum in ima huius ergastuli parte iacentes permagnis animi corporisque angustijs premebantur; Assiduis enim & inconditis clamoribus facinorosorum hominum vnâ vincetorum conuicijscque à precandi studio (quod maximum est miseriarum leuamen) atque à Sacramentorum subsidijs arcebantur (quorum diuinam & perquam salutarem opem hisce calamitosis temporibus omnes perlentiscimus) Victus, vestitusque necessarij graui penuria laborabant, atque tantopere loci sordibus ac pædore molestabantur vt vix daretur somnum capere. His animi corporisque incommodis vt ex charitate subuenirem, egi cum Custode de transferendis ad meum cubiculum quod sat magnum mihi obtigerat; In hoc tamen non venere Custos & eius coniux, pecuniarum auidissima, nisi ingenti pæcta pecunia quadringentorum circiter scutorum; quam pecuniam partim mutuo, partim mendicato corrogauit, vt ante hyemem, prout optabam haberent illi commodius. Locum carceris mihi attributum in duas partes diuisum adaptavi sacris prophanicisque vsibus; hinc Altari Beatæ Virgini immaculatè conceptæ, illinc lectis quatuor ad quietem collocaatis: Horum autem contubernali-
lium

lium societate plurimum oblector ob eorum insignem probitatem, pietatem, sanctitatem. Quotidie duobus vel tribus lacris, non raro sex vel septem, pro numero sacerdotum qui hic detinentur, singulari deuotione intersunt; Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta pie obeunt & frequenter. Omnes, vno excepto sene sexagenario & infirmo, hora quarta surgimus, libros spirituales, preces tam mente quam voce, conscientiarum examina, aliaque pietatis exercitia stans horis coniunctim usurpamus, vt non modica mea voluptate vitam disciplinamque Religiosam videamur adumbrare. Ad hos vero socios, alioque complures subleuandos, Deo Catholicisque iuuantibus, eleemosynæ hætenus non defuere. De spirituali verò animarum quæstu vt aliquid dicam, sciendum est; primùm quidem semestri feliciter latis & ex sententia mihi & amantissimo mihi socio *Francisco Young* successisse. Venere namque ad nos magno numero Catholici, adeò vt quinquaginta vel sexaginta auditores mensuris nostris concionibus interessent; Sed ne tanto bono diu fruermur omnis boni sanctique hostis impediuit. Nam Pseudoepiscopus Londinensis, falsi fratris vt creditur indicio, dum die Sancto Benedicto sacro vir pius in sui institutoris laudem concionem haberet, immisit in concilium satellites suos, illum imprimis cui à Cruce nomen non malè conuenit, cum gregalium suorum non paruo numero, raptosque triginta circiter viros faminalique in varias custodias distribuit, quod Iuramentum, quod dixi fidelitatis indigno nomine nuncupatum, iurare recularunt. Ex illis aliquot nobis sunt associati; hi videntes egregiam qua fruimur opportunitatem Sacra Mysteria frequenter percipiendi, diuinis rebus pijsque exercitijs vacandi, non solum non agere ferunt captiuitatem suam, sed plurimum lætantur. Ego verò vt Deo optimo maximo immensas gratias habeam agamque in hac occasione illud impellit, quod pauci ac propè nulli Catholici, ex ditioribus præsertim (quos apparitores isti maxime aucupabantur) qui ad me & ad Dominum *Franciscum* conuenire solebant in hos loquacos incidere: Biduo ante hunc diem me audierant verba facientem de Sanctissimæ Dei Matris Sponso Sancto Iosepho, atque ea de causa huic solemnitati non interfuerunt: Tot etiam tamque frequentes ad expiandos animos superiori semestri ad me venire, vt hebdomadâ qualibet in carcere plures quam in sex vel septem hebdomadis liber exceperim Confessiones. Sex Deo iuuante ouiculas errantes ad Christi caulam reduxi; tres aliæ se ad reditum parant. Adeo raro nos nostroque inuolunt apparitores vt omni penè metu leposito, sacellum diebus festis peristromate serico, altare floribus, imaginibus, cereis ornetur: Diebus vero celebrioribus Sanctissimum *Christi Corpus* in theca Crystallina radijs collucente expono visendum, quamquam id rarius propter metum Iudæorum. Deus amicis meis Hispanis benefaciat qui mihi ex ipsa Hispania misere viginti octo scuta ad hanc thecam conficiendam.

Nn 2

Diebus

1602. Diebus festis Catholicos habeo frequentes conuiuas, qui tantam ciborum copiam secum ferunt, vt inde pauperibus Catholicis ad plures dies prouideatur. Incredibile verò est quantam nonnulli Catholici patiantur inopiam, Viri nobiles qui olim sex vel septem Sacerdotibus sumptum præbebant, extremâ nunc prope mendicitate conflantur: Atque hæc fere sunt quæ mihi primis sex mensibus contigere. Ab eo autem tempore non parum imminutus est numerus ad nos confluentium; alijs quidem vt cautius agant nos ipsi suafimus; alij vt sibi caueant hortatu nostro non indigent; Catholicorum enim nuperâ quam retuli comprehensione deterrantur: Quare ego ipsos, eorumque domicilia adire iam cæpi: Mirabitur fortassis Dominatio Vestra quod tanta nobis libertas permittatur; sed ea est Custodis de nostra fide opinio, vel potius tam cæca tum ipsorum coniugis auaritia, vt nihil tam arduum sit quod obtineri non possit. Pro commodiori Carceris habitatione tantum dabis; vt ad liberio-rem auram paulisper in ipsius limine captandam consistas, tantum: Vt in suburbanum (modo de fide non ambigat) horam vnâ alteramue, tantum. Hebdomadis igitur singulis huiusmodi suburbanas ambulationes magno pretio emo, specie quidem valetudinis conseruandæ, reuera vt Catholicorum, etiam vt Hæreticorum ædes, si spes aliqua sit lucris spiri- tualis inuisam, vt Sacramenta ministrem, vt Schisma dedoceam, vt Ca- tholicos ad patientiam constantiamque incitem. Copiosam sanè messem singularis ista custodis auaritia suppeditat, sed libertatis adeò vtilis amit- tendæ timor (pænas enim custos & ego dabimus si Magistratui vel Pleu- do-Episcopo res innotescat) & pretij immanitas me aliquando remoratur) non ita tamen vt cuiquam opem meam polcenti desim. Quod attinet ad charissimum meum fratrem & commilitonem Dominum *Franciscum Young*, egregiè in re Catholica defendenda & propaganda laborat: Nam crebris concionibus priuatisque colloquijs Catholicos confirmat; Hære- ticos assiduis disputationibus confutat: Tempus à proximo vacuum, pre- cationibus, spiritualibus exercitijs, pijs libris in linguam vulgarem ver- tendis singulari exemplo & publico emolumento impendit. In contro- uersiarum & Linguarum studium præcipuè incumbit; nouem vel de- cem à Caluiniana Hæresi abstractos Ecclesiæ reddidit; egentium Catholi- corum necessitatibus providet, magna cum Dei & Societatis laude. Chri- stus *Iesus* cæpta nostra secundet & foueat, vt iuxta supernæ nostræ vo- cationis gradum in huius Ecclesiæ vinea digni & fideles inueniamus operarij: Id quo certius faciliusque consequamur, adiutrices Domina- tionis vestræ preces supplices imploramus. Auo nostro colendissimo, eiusque dignissimis Assistentibus, ac reliquis dilectissimis Sodalibus & amicis nostris vtriusque nostrum obseruantiam reuerentiamque offe- rentes, & salutem plurimam exoptantes, orationes omnium ex ani- mo & demissè pctimus; ex optimo hospicio nostro (vulgò dicto Porta
domus,

arque vt ego interpretor, cœlestis) tertio Octobris 1616. Dominationi 1602.
Veltræ addictissimus *Laurentius VVorthingtonus*.

Anno deinde decimo octauo exul, Louanij Leodijque Theologos & Scripturam explicauit, & in Austria Græcij; vnde cum Duce Lotharingæ, & Principe Casimiro rediens in Belgium, inter militum signa hautitâ agritudine, diem clausit extremum, circa annum huius seculi trigesimum septimum.

XXXVIII. *Thomas VVorthingtonus* horum Patruus, licet in Societate longè posterior, suator tamen & administer itineris & melioris educationis & disciplinæ, nepotibus adiungendus videtur, quando horâ vndecimâ vocati pares sunt quandoque cum primis. Honestè in literis educatus, vbi adoleuit prauorum dogmatum odio pertæsus Oxoniensis Academix, sponte sua migravit Duacum & Rhemos. Hic Laureâ Philosphicâ donatus, sacroque inauguratus Sacerdotio, moderatorum consilio migravit in Angliam, & perutilem aliquamdiu nauans operam, ab adolescente quem multis deuinxerat officijs proditus, in Arcem Londinensem velut malefici cuiuspiam reus compingitur, vincitur, & ad duos menses in subterraneo specu grauissima perpessus est incommoda. Mensibus sex elapsis, vnâ cum *Gaspere Heywood*, alijque circiter viginti constantissimis Christi Confessoribus deportatus in Gallias, exilium in Religionis Catholicæ ornamentum Patriæque multiplex subsidium conuertit. Etenim anno octogesimo octauo Augustæ Treuironum Sacræ Theologiæ Doctor renunciatus, haud multo post Rhemis in Anglorum Seminario Theologiam quæ n onibus instituendis traditur p̄ofessus est; Fuit deinde cum *Thoma Stapletono* in negotijs Angliam spectantibus Nuntio Apostolico Bruxellis commoranti à consilijs: Tum *Barretto* Duaceni Collegij Præfidi è viuis sublato successor: Quod Collegium amplis auxit ædificijs, & honestauit veteri testamento linguâ vernaculâ edito & notis Orthodoxis illustrato; Alijs etiam lucubrationibus in lucem datis, quas videre est apud Pitzeum, & Alegambe. Auctus demum Protonotariatus Apostolici dignitate & Præsidis munere deposito, ætate iam graudæua ad Societatem (cui & *Personio* fuerat semper coniunctissimus) adiiciens animum, ab *Richardo Blondo* Prouinciale cooptatus, lucis huius vsuram reliquit sexto fere Tyrocinijs Mente; Vir in omni vita summæ integritatis & innocentix, & qui in Scholis doctior, quàm rerum administrandarum aut morum informandorum moderandorumque peritior habebatur.

XXXIX. *Thomas alter Stannæus* honesto loco in Diœcesi Sariburiensi natus, post duos annos Philosophiæ, & duos moralis Theologiæ in Anglicano de vrbe, adscriptus in Societatem anno vno ante *VVorthingtonos*, & in Angliam destinatus, in trium Martyrum Laïcorum Coronis gloriatur, quos ipse ad pietatem & constantiam instituerat, *Smithini VVells*, *Rodulphi Miller*, & *Laurentij Humphredi*, & non paucorum centenorum in